



520
20

Z. n. 18.



18. iij.



4

ASSERTUM
ECCLESIASTÆ

אשר יודע רוח בני אדם העלה היה לשערה

ETC.

CAP. III. 21.

EXPENDENS

SACRA EMORTUALIA
SERENISSIMORUM PRINCIPUM AC DOMINORUM

DOMINI
AUGUSTI

FUNDATORIS ILL. AUGUSTEI AUGUSTISSIMI

ET

DOMINI
JOHANNIS
ADOLPHI

CONSERVATORIS EJUSDEM MUNIFICENTISSIMI
DUCUM SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIÆ ET WEST-
PHALIÆ LANDGRAFIORUM THURINGIÆ MARCHIONUM MISNIÆ ET
UTRIUSQUE LUSATIÆ COMITUM PRINCIPUM HENNEBERGÆ
COMITUM MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DY-
NASTARUM RAVENSTEINI &c. &c. &c.

PRINCIPUM AC DOMINORUM ET STATORUM ILL. AUGU-
STEI QUONDAM AUGUSTISSIMORUM

QUORUM ILLE D. 4. JUNII 1680. ET HIC D. 24. MAJI 1697.

BEATISSIME IN SALVATORE I. C. OBDORMIVERUNT

PIE REPETENDA

INDICIT

ET

AD ORATIONEM MEMORIÆ DIVORUM
PRINCIPUM SACRAM

D. VI. JUNII IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI

AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS UTRI-
USQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERATOS BELI-
QUOS UT ET CIVES ILL. AUGUSTEI

OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS,
SS. TH. BAC. CONS. SAXO-WEISSENE. ILL. AUGUST. RECTOR ET P.P.



Illus Scripturæ locus *Animarum Humanarum immortalitati ex Nature lumine demonstratæ* speciose magis obvertitur, & Atheorum & Epicureorum abusus expostus est, quam qui legitur *Ecclef. III. 21.*: de quo tamen asseverare non dubito, nullum esse qui immortalitati Animarum argumentis è Ratione petitis adfertæ magis inferviat, quam hunc ipsum locum Ecclesiastæ recte intellectum. Verba *Salomonis* sunt:

כִּי יִדַע רוּחַ בְּנֵי אָדָם הָעֵלָה הִיא לְמַעַל וְרוּחַ הַבְּהֵמָה

Aliquam in his verbis esse difficultatem Versio multorum Interpretum diversa satis prodit. Nec est, quod miremur in Libro concisionis & metrico, abruptam dictorum rationem usumque phrasium & vocum à reliquo S. Scripturæ caractere alienum Interpretes sæpe in alia omnia abripere, ut quibusdam in locis vix unus cum altero conspiret, aut si conspirent, unus alterum secutus sit, quod in Versionibus & Commentationibus facile deprehendas. Judæorum *Targum* hanc adducti loci habet paraphrasin; כִּי הוּא הַיְסוֹד וְרַע אֵין רוּחַ נִשְׁמָה וְרוּחַ נִשְׁמָה רַבְעָרָה הַנְּחָמָה הוּא לְרַע נִשְׁמָתֵנוּ אִשָּׁה הַסְּלָקָה הִיא לְרַע הַלְרִקְעָה וְרוּחַ נִשְׁמָה רַבְעָרָה הַנְּחָמָה הוּא לְרַע: i. e. *Quis sapiens qui novit, an Spiritus anime filiorum hominis ascendat ipse supra firmamentum, & Spiritus anime jumentorum descendat ipse subter terram?* In *Syro* leguntur: וְרוּחַ יָדַע אֵין רוּחַ בְּנִינְשָׂא סְלָקָה רַעַל וְרוּחַ כְּבִירָה נְחָמָה חֵי תַחְתָּה: i. e. *Et quis sciat an Spiritus hominum ascendat sursum, & Spiritus jumentorum descendat ille deorsum in terram?* Græci Interpretes verterunt: *Καὶ τίς εἰδὼν μέντοι πῶς τὸ ἀνθρώπου πνεῦμα, ἢ ἀναβαίνει ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὸ οὐρανὸν ἢ καταβαίνει ἀπὸ τοῦ σώματος εἰς γῆν; PULGATUS* reddidit: *Quis novit si Spiritus Filiorum Adæ ascendat sursum, & si Spiritus jumentorum descendat deorsum?* Nec multum à Vulgato abeunt *Vatablus, Castalio, Pagninus* &c. Prius tamen comma rectius ponit & verba construit *Munsterus*: *Quis cognoscit Spiritum filiorum hominum, num ille ascendat sursum, & Spiritum jumentorum, num ille descendat deorsum in terram?* Idem observarunt *Tremellius & Junius, & Seb. Schmidius* in suis Versionibus, & præterea interrogationem non addunt membris, in quibus nullum interrogationis indicium habet Textus Hebræus. *TREMELLIUS*: *Quis animadvertisit Spiritum humanum, qui ascenderit sursum: & Spiritum bestia, qui descenderit infra in terram?* *SEB. SCHMIDIUS*: *Quis novit Spiritum hominis, qui ascendit sursum. Et (quis novit) spiritum bestia, qui descendit deorsum sub terram.* Sed in Commentationibus *Junius & S. Schmidius* à se invicem longissime abeunt. In eo tamen conveniunt plerique Interpretes, negari h. l. *homines sibi relictos extra divinam revelationem certi quid de Anima Hominis scire posse.* Quod plures arripuerunt Philosophi negantes Animæ Humanæ immortalitatem naturali ratione demonstrari posse, suamque sententiam per interpretationem hujus loci Ecclesiastæ tueri conantur: Sicut Epicurei omnem de animæ immortalitate sententiam dubiam constituerent Salomonem arbitrantur. At enim vero neutrum horum concedendum est. Quod enim Salomo in eodem hoc libro difertis verbis adserit c. XII. 9. illud etiam in hoc cap. III. 21. clare satis enunciat. Nec ullus negat Animæ immortalitate ex Lumine Naturæ suo certitudinis gradu consistare & probari posse. Illud enim כִּי יִדַע אָדָם quæ negationem & impossibilitatem indicat, sed negligentiam quandoque paucitatem & raritatem eorum, qui quod proponitur agnoscere debebant, aut difficultatem notat, & non nunquam idem est, ac quotusquisque agnoscit, utinam agnoscerent. Sic *Esaïæ* LIII. 1. כִּי יִדַע אָדָם quis & quotusquisque credit auditui nostro; non est, ac si nemo credat Evangelio, sed quod rari sint, qui fidem Verbo prædicato adhibeant. Atque in ipso Ecclesiastæ cap. VII. 1. וְרוּחַ יָדַע אָדָם quis & quotusquisque novit, quid bonum

num sit homini in vita? Conf. Pl. 90, 11. *Quis agnoscit?* Pl. 94, 16. *Quis insurget.* Hof. 14, 9. *Quis sapiens.* Prov. 31, 16. *Quis inveniet* &c. V. *Glasfius* Philol. l. 5, tr. 2. cap. 5, p. 1448. Non ergo ista quæstio simpliciter negat, sed est reprehensio negligentia, malitia, stupiditatis & pravi affectus & judicii. Idque h. l. Hebræi Interpretes *Aben Esra, Raschi, Kimchi* aliique annotant & sequuntur. Quorum hanc dedit *Paraphrasin Varenius* ad h. l. p. 32. *Quis animadvertit* i. e. *quam pauci sunt, vel vix unus ex millibus est, qui serio inter Spiritum hominis & bestie discernit: Quis animadvertit Spiritum filiorum hominis?* Quod sc. Spiritus ille ipse (ubi corpore mortali excedit) ascendat sursum & compareat in judicio (coram tribunalis Dei, ubi pro se ipsa rationem reddere tenetur) & quod spiritus bestie ille ipse descendat infra terram (non sistatur in judicio prout spiritus hominis; sed intereat.) Atque adeo non debebat homo vita, moribus beluinus esse, veluti brutum seu bestia, quæ sollicita non est de actionibus suis, hic vivere, sed anime sue præ specie bestie excellentiam, tum quoad primam originem Gen. 2, 7. tum quoad futuram conditionem Eccl. 12, 9. considerare. Non possum etiam, quin adhuc apponam locum Arabici cujusdam Commentatoris in Ecclesiasten, primum Judæi & deinceps ad Muhammedisnum transgressi, *Abul-Baracati: Dixit Ecclesiastes c. III. מִי יָדוּעַ* quis novit &c. *via increpationis & aversationis ipsorum, quasi diceret: quisquis noverit ac pro certo habuerit Spiritum hominum ascendere sursum, ac servari ipsum apud Creatorem usque ad diem resurrectionis, qui tunc in corpus suum ipsum remittet, spiritum autem jumentum non iterum reverti, sed descendere in unum terræ instar corporis, quod t. abscedit & dissolvitur, hæc cum certo noverit, oportet illum non se jumentorum more gerere & cupiditatibus suis indulgere, cum sciat Deum de ipso rationem sumturum.* Verba ipsa Arabica legi poterunt apud *Edward. Pocockium* in *Notis Misc. ad Portam Mosis* p. 176 ed. Lipsi. & p. 189. ed. Oxon. In eundem sensum magis perspicua sunt, quæ scribit *Varenius* l. c. p. 17. connexionem simul indicans: *De ratione status filiorum hominis esse, ut abdicato die seu judicio humano, committantur se cælesti & incorrupto judicio, dixerat sapientissimus v. 18. m. 1. vel si hoc abstrahatur, animadvertant, se similes esse bestiis, mortuos ad instar bestie communi interitui obnoxios v. 18. m. 2. 19. 20. Nequaquam tamen par est conditio hominis & bestie, quia spiritus humanus ascendit sursum, & spiritus bestie descendit infra in terram: cæterum quam pauci sunt, qui id animadvertunt & propterea judicio cælesti se committunt!* Hinc ergo exclamat *Koheleth* v. 11. distincta statim oratione: *Quis agnoscit* (vel intelligit, utinam quis intelligeret) *Spiritum filiorum hominis? Ascendit ille, ille ipse inquam sursum &* (quis intelligit, seu ab illo discernit) *spiritum bestie? descendit ille, ille ipse inquam infra terram.* Ita hic nosfer *Sapientissimus* philosophatur, sunt verba *Varenii*. Nihil ergo Philosophi isti, quos supra innuimus, ex hoc loco subsidii sperare possunt contra animæ immortalitatem ex natura demonstrabilem. Quemadmodum enim existentia Dei, justitia Dei & officia legis naturalis non cessant esse demonstrabilia ex lumine nature, etiam si plurimis negliguntur nec recte perpenduntur: ita nec plurimum hominum stupiditas & negligentia impedire potest, quo minus alii, utut pauci sint, Animæ suæ immortalitatem ex ipso lumine Nature intelligant & cognoscant, etiam gradu certitudinis multo inferiori, quam quo eandem Animæ immortalitatem ex revelatione Scripturæ cognoscimus. Præterea dum simplex Salomonis in textu est assertio: *וְהָאֵלֹהִים יָדוּעַ הַרוּחַ הַקָּדוֹשׁ הַיּוֹשֵׁב בְּאֵזְרֵי הַקְּדוֹשִׁים* Spiritum filiorum hominis esse illum ipsum ascendentem sursum; clarum est hanc sententiam sic nude propositam infervere demonstrationi immortalitatis naturalis magis, quam quod dici possit eam destruere. Nulla enim hic in textu est, vel dubitatio Oratoris ex corrupto judicio aliorum loquentis, vel negatio immortalitatis ex Natura etiam cognita, quæ lateat sub interrogatione, quam interpretes plerique ponunt. Verba ipsius Salomonis sunt, quibus partim indolet, paucos esse, qui Spiritum

ho-

hominis immortalem agnoscant, & a spiritu bestiarum corruptibili distinguant **מי יודע רוח בני האדם** *Quis agnoscat Spiritum filiorum hominis?* Sic fluunt & in accentuatione Hebraica sunt distinguenda, Rbha enim in voce **ויודע** siltere sermonem non potest, sed Sakeph katon in voce **הוא** sensum absolvit; partim adserit: Spiritum filiorum hominis, *ascendere illum, illum ipsum sursum; Et Spiritum bestie, descendere illum, illum ipsum, inquam, infra in terram.* Hunc ergo sensum vis accentuum & verborum emphasis exhibet: *Quis nobis (agnoscit, quotusquisque intelligit) Spiritum filiorum hominis? ascendit ille, ille ipse, inquam, sursum. Et (quis agnoscit, quotusquisque intelligit & discernit) Spiritum bestie? descendit ille, ille ipse, inquam, infra in terram.* Nulla hic dubitatio, nullum indicium loquentis ex perverso sensu aliorum. Queque interrogatio trahitur ad posterius membrum, & vel *implicite* supponitur, vel in *litera* ה praefixa voci **עלה** & voci **ירד** quæritur, apud Interpretes, sive vertentes (1.) *wer weiß ob der Odem der Menschen aufwärts fahre? &c.* sive (2.) *Wer giebt acht auf den Odem der Menschen, ob er hinauf fahre? &c.* sive (3.) *Wer hat aufgemerkt auf den Odem der Menschen, daßer sollte aufwärts gefahren seyn?* omni fundamento caret, quod prolixè ostendit accurateque *Varenius* l. c. Prima versio peccat contra accentuationis positum jam supra indicatum & modificationem præfixi ה demonstrativi & pronominis ה in utroque commate. Altera male illud **הוירדע** *Demonstrativum* pro **הוא** *interrogativo* accipit. Tertia itidem asseverantis positum **הוא** perperam convertit in sermonem dubitantis, contra omnem vim & emphasis verborum. Et quod speciatim ad illud ה præfixum attinet, non posse illud esse ה *interrogativum* in voce **העלה** & **הירד** his rationibus demonstratur (1.) omne ה kamezatum ante vocem incipientem ab **ע** in tota praxi Biblica semper est *Articulus specificationis* seu *He demonstrativum*, nunquam particula interrogationis. (2.) Omne ה Patachatum ante radicalem dagessabilem dagellatam est articulus, nullum particula interrogationis. (3.) Nullum ה interrogans anteradicalem Dagessabilem & ה habet Patach nedum Dagesans, sed semper habet Katephatach; neque unquam hoc resolvitur in Patach, nisi ubi propter suppositionem Scheva datur necessitas resolutionis, qualis nulla est in **הירד**. Quæ regula absolute quoque valet in verbis. Vid. *Varenius* l. c. p. 18. 19. sqq., qui satis prolixè hæc exemplis Scripturæ roboravit & vindicavit, eamque quæ ex v. 22. formari solet exceptionem ac si minus sic cohereret interpretatio data cum textu sequenti v. 22. sic occupavit p. 35.: Peculii candido labore parti, tranquillus honestus & hilaris usus fructus, sine vanis angoribus vel anxiiis de patrimonio per avidas manus hæretico distractione & luxuriosa dilapidatione sollicitudinibus, non obstat pietati nec immortalitatis vel futuræ vitæ meditationi. Et negatio cognoscibilitatis post hanc vitam futurorum celestium circa heredes circa **מעשי** opera sua, e. bona multo sed honesto labore parta, circa patrimonium Thesauros his in terris relictos, non secum fert abnegationem & incognoscibilitatem vitæ futuræ post hanc mortalem. Hoc ergo certissimo sensu verborum Salomonis constituto, nihil est, quod turbet Philosophos in apodixi immortalitatis Animæ; nec superest, quo exultent Athei & Epicurei. Nos vero hoc Oraculum mirifice afficit & confirmat in consideratione Mentis Humanæ & contemplatione Vitæ post hanc Vitam. Hac beatissima Vita fruuntur *Principes Serenissimi*, quorum memoriam hoc die recolimus & celebramus. Homines in hac vita prerogativa gaudent præ animantibus aliis omnibus; Homines pii præ hominibus impiis; Principes præ aliis hominibus: Et in altera Vita Beati alii præ aliis fulgent. Quo ipso adducti dicemus de *Gloria Principum in cælis*. Rogamus igitur *Illustres Aula Serenissima Ministros, Utriusque Reipubl. Proceres & Literatos civitatis hujus omnes atque singulos*, ut una cum *Civibus Illustribus Augustei*, gratiosa & exoptatissima sua præsentia omnibus ostendant, quo in honore & veneratione apud ipsos sint *PRINCIPES*, & de se & de universo hoc Ducatu optime meriti & beatissime defuncti, & nostræ Panegyri interesse ne graventur. P. P. in F. Trinitatis

M DCC XLIV.

LEUCOPETÆ,
 LITERIS G. A. LEGII, AUL. ET AUG. TYPOGR.,

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.







ASSERTUM
ECCLESIASTÆ

שׁו יודע רוח בני ארׁו העלה היא למעלה
ETC.

CAP. III. 21.
EXPENDENS

SACRA EMORTUALIA
SERENISSIMORUM PRINCIPUM AC DOMINORUM

DOMINI
AUGUSTI

FUNDATORIS ILL. AUGUSTEI AUGUSTISSIMI

ET
DOMINI
JOHANNIS
ADOLPHI

CONSERVATORIS EJUSDEM MUNIFICENTISSIMI
DUCUM SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGARIE ET WEST-
PHALIÆ LANDGRAFIORUM THURINGIÆ MARCHIONUM MISNIÆ ET
UTRIUSQUE LUSATIÆ COMITUM PRINCIPUM HENNEBERGÆ
COMITUM MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DY-

NASTARUM RAVENSTEINIÏ &c. &c. &c.
PRINCIPUM AC DOMINORUM ET STATORUM ILL. AUGU-

STEI QUONDAM AUGUSTISSIMORUM

QUORUM ILLE D. 4. JUNII 1680. ET HIC D. 24. MAJI 1697.

BEATISSIME IN SALVATORE I. C. OB DORMIVERUNT

PIE REPETENDA

INDICIT

ET

AD ORATIONEM MEMORIÆ DIVORUM
PRINCIPUM SACRAM

D. VI. JUNII IN AUDITORIO ILL. AUGUSTEI MAJORI

AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINISTROS UTRI-
USQUE REIPUBL. PROCERES ET LITERATOS RELI-
QUOS UT ET CIVES ILL. AUGUSTEI

OBSERVANTISSIME HUMANISSIMEQUE

INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS,

SS. TH. BAC. CONS. SAXO-WEISSENF. ILL. AUGUST. RECTOR ET P.P.

